



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

**Parisiis, 1644**

Ex Concilio Valentino Galliae, Titulo Quarto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15300**

decreuimus, perpetuæ pœnitentiæ hunc inferuire officiis, & arumnis: prouidentes melius illum per asperam & \*dumofam ire pœnitentiæ sollicitudinem, vt quandoque perueniret ad refrigerii mansionem, quam relictum in voluntatis suæ latitudine ad præcipitium deiici æterna damnatione. Tunc venerabilem Fructuosum ecclesiæ Du-miensis episcopum communi omnium nostrum electione constituimus ecclesiæ Bracarenfis gubernacula continere: ita vt omnem metropolim prouinciæ Gallœciæ, cunctosque episcopos populosq; Conuentus ipsius, omniumque curam animarum Bracarenfis ecclesiæ gubernandam suscipiens, ita componat atque conseruet, vt & Dominum nostrum de rectitudine operis sui glorificet, & nobis de incolumitate ecclesiæ eius gaudium præstet. Quia vero ad futura prospicere conuenit, ne exoriri possit in statu pacis quædã commotio litis, patrum sententiã, quæ iam dictum Potamium episcopum rectitudine damnat, huic decreto connectere nostra vigilantia procurat.

EX CONCILIO VALENTINO GALLIÆ,  
TITVLO QVARTO.

**N**EC illud, fratres, scribere alienum ab ecclesiæ utilitate censuimus, vt sciretis, quicumque sub ordinatione, vel diaconatus, vel presbyterii, vel episcopatus mortali crimine dixerint se esse pollutos, a supradictis ordinationibus submouendos; reos scilicet, vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim absolui potest \*is qui in semetipsum dixerit, quod dictum in alios puniretur: quoniam omnis qui sibi fuerit mortis causa, maior homicida fit.

Multæ quidem & aliæ sententiæ huic poterant innecti decreto, quæ prædictum Potamium episcopum \*seuerissima auctoritate abiicere iubent. Sed ex omnibus hanc conscriptam ponere sententiam maluimus: ne si totius damnationis edicta replicassemus, grauiissimæ ultionis auctores existere videremur. Factum est decretum sub die Kalendarum Decembris, anno feliciter octauo regni gloriosissimi domini nostri Reccesuinthi regis.

\* Eugenius indignus Toletanæ sedis metropolitanus episcopus hoc iudicii nostri decretum subscripsi.

Similiter & alii episcopi subscripserunt, numero viginti.

ANNO  
CHRISTI  
656.

\* dumo-  
sam pœ-  
nitentiæ  
solitudi-  
ne quan-  
doque  
perueni-  
re

\* in his, si  
in seipsum  
dixerint

\* seuerissi-  
ma

\* Omnes  
sacerdo-  
tes præ-  
dicti Cõ-  
cilii hoc  
stabiliter  
fanciui-  
mus.